

nota dicendis, cum debita deuotione interfuerint, de omnipotentis Dei misericordia ac sanctorum Petri et Pauli apostolorum eius autoritate sanctorumque martyrum Laurentii et Erici meritis confisi quatraginta dierum indulgentias pro ipsarum missarum qualibet de iniunctis sibi penitentiis in Domino misericorditer elargimur. Datum sub sigillo nostro apud manerium nostrum Arnø anno Domini m<sup>o</sup>ccc<sup>o</sup>xl<sup>o</sup> nono penultima die mensis Martis.

4412.

1349 April 1.

Upsala.

Birger Jonson, kallad Joph, dels bortbyter, dels säljer till Upsala domkyrka 14<sup>1</sup>/<sub>2</sub> öresland i Ekeby i Danmarks socken samt 7 öresland, <sup>1</sup>/<sub>2</sub> örtugland mindre, i samma by mot 10 öresland i Malmö och 4<sup>1</sup>/<sub>2</sub> öresland i Suinalunda (Svelunda) i Jäders socken, samt 164 mark penningar svenskt mynt.

Orig. på perg. i Sv. Riksark.

Nouerint vniuersi, quorum interest seu quomodolibet interesse poterit in futurum, quod ego Birgerus Joonson, dictus Jooph, cum venerabili in Christo patre, domino Hemmingo, miseracione diuina archiepiscopo Vpsalensi, ac viris reuerendis dominis preposito et cappitulo ibidem ex parte eiusdem ecclesie Vpsalensis partim permutacionem ac partim eciam vendicionem prediorum facio in hunc modum, videlicet quod pro decem oris terre in villa Malmø et pro quatuor oris terre cum dimidia in villa Suinalundum, parrochia Jætrum, prouincia Østurrek, Strengenensis diocesis, sitis predia mea, videlicet quatuordecim oras terre cum dimidio in villa Ekeby, parrochia Danmarkum in prouincia Vaxalldh, Vpsalensis diocesis, sitas titulo veri cambii et permutacionis, septem vero oras terre dimidio solido minus in predictis villa Ekeby, parrochie Danmarkum et prouincia Vaxald situatas titulo vendicionis eisdem dominis archiepiscopo et cappitulo Vpsalensi nomine dicte ecclesie Vpsalensis cum omnibus eorundem prediorum adiacenciis, agris, pratis, siluis, piscariis, pascuis, nemoribus et ceteris aliis expressis et non expressis dimitto, proprio et assigno pleno jure in perpetuum possidendas, pro quibus quidem septem oras terre dimidio solido minus, in prefatis(!) villa Ekeby, parrochie Danmarkum, sitis, per me eisdem dominis archiepiscopo et cappitulo Vpsalensi jam venditis, recognosco per presentes me ab eis centum sexaginta quatuor marchas denariorum Sweue monete in prompta et numerata pecunia michi ad manus tradita recepisse et plenarie habuisse seu percepisse. Transfero igitur in prenotatos dominos archiepiscopum Vpsalensem et cappitulum suum nomine dicte Vpsalensis ecclesie plenum jus proprietatis, domini ac possessionis pacifice tam dictas quatuordecim oras terre cum dimidia ora terre in villa Ekeby, quas ipsis dominis archiepiscopo et cappitulo Vpsalensi titulo permutacionis dimiseram, quam predictas septem oras terre dimidio solido terre minus in eadem villa Ekeby, quas antedictis dominis archiepiscopo et cappitulo vendideram, cum omni jure ingrediendi, habendi, tenendi, possidendi, donandi, vendendi, commutandi et de eis nunc et alias, quomodolibet eis placuerit, libere ordinandi, abdicata michi meisque heredibus omni jure et facultate de cetero predia eadem seu terras ab eadem ecclesia Vpsalensi repetendi, distrahendi, vssurpandi, alienandi seu alias quocumque adinuencionis ingenio occupandi; ymmo

obligo me per presentes et heredes meos ac alios quoscumque mihi in eisdem prediis jure hereditario successuros ad cauendum de euiccionem eorundem prediorum, videlicet viginti vna oras et vno solido terre in vniuerso computandorum in villa Ekeby, parrochie Danmarkum et prouincia Vaxal, situatorum et qualibet eorum parte dicte ecclesie Vpsalensi et ad defendendum meis et ipsorum heredum meorum sumptibus et expensis prenotata predia contra quemcumque hominem eandem ecclesiam Vpsalensem impediendam aut turbantem, quo minus eadem predia pacifice tenere valeat et habere. Promitto insuper ego Birberus(!) prefatus per bonam et veram fidem pro me et meis heredibus seu successoribus quibusuis, quod, si contingat vel contigerit, quod absit, euinci ab eadem ecclesia Vpsalensi predictas viginti vnam oras cum vno solido terre in villa Ekeby et parrochia Danmarkum prefatis sitas in toto vel in parte, extunc ego aut heredes mei seu successores eidem ecclesie Vpsalensi primo memoratam pecunie summam integram aut eius partem, quam ab ea leuaueram, et cum hoc talia predia, que ab ipsa habui aut eorum partem iuxta quantitatem euicti absque impedimento et protractione quacumque restituam seu restituent integre infra duos menses a prima die euiccionis huiusmodi computandos. Acta fuerunt hec et perfecta in pupplico placito prouincie Waxald dyocesis Vpsalensis. Et testes infrascripti, qui fasta vulgariter appellantur, super hoc nominati et recepti, videlicet Faderus Birger-son, Ericus Siggason, dominus Bero in Waxald, Haraldus Jacobsson, Jacobus in Qualathorpe, Olauus Biornsson, Jacobus in Lundum, Bero in Skølistum, Barde in Aby, dominus Jacobus in veteri Vpsalia, Nicholaus in Vbby, Thorgillus in Ængiaby, Laurencius in Sæby, Jacobus in Knifsbrunnum, Bero diækn Vpsalie, Petrus in Skærnem, Rørikus ibidem, Nicholaus in Raby, Benedictus in Witulsænge, Mathias in Enastaum, Petrus in Skælby, Brunuidus ibidem, Hemmingus in Ekeby, Hemmingus in Slauastum, exactor erat Olauus in Bolastum, iudices fuerunt Olauus in Grenby et Sixtanus in Knifsbrunnum. In cuius rei testimonium sigilla discretorum ac nobilium virorum domini Nicholai Abiornason, domini Gislonis Ælinoson, omni Gøstai A[r]uizsson, domini Johannis Niklisson, domini Andree Æskilson, domini Nicholai prepositi Strengenensis, Nicholai Ingeualson et Notolphi Ægardson dicti Braalsthorph, ad hoc specialiter rogatorum, vna cum sigillo meo proprio presentibus sunt appensa. Datum Vpsalie anno domini m<sup>o</sup>ccc<sup>o</sup>xl<sup>o</sup> nono feria quarta ante Ambrosii episcopi et confessoris.

På baksidan: permutacio prediorum in Ekeby.

Sigillen: n. 1 en del af kanten borta (sparre mellan tre rosor): . . ABI . . (jämf. Sv. Sig. fr. Medelt. I, 3, 461); n. 2 aftrycket otydligt: . . VM GISLONIS ELLINA . . (jämf. Sv. Sig. fr. Medelt. I, 3, 453); n. 3 (sparre mellan bladrankor); omskriften halft utplånad: . GOZSTA . . VI . . MIL . . (jämf. Sv. Sig. fr. Medelt. I, 3, 602); n. 4 (sjuuddig stjerna i styckad sköld): JOHANNIS NICLISSO .; n. 5 (gående lejon): . ANDREE ESKILS s' (Sv. Sig. fr. Medelt. I, 3, 669); n. 6 borta; n. 7 (klufven sköld): s' NICHOLAI INGEVALSSONS (Sv. Sig. fr. Medelt. I, 3, 668); n. 8 (spets åt höger): s' . . THOLMI (Sv. Sig. fr. Medelt. I, 3, 506); n. 9 (narrhufvud): s' BIRGERI : IOB (Sv. Sig. fr. Medelt. I, 3, 583).